

ad pugilum theatra, non ad aleatorum mensas, non ad forum aut tabernas, sed ad sacras aedes, ad hospitalia et cœmeteria. Ita enim Tobias in solemnitatibus dum irent alii ad vitulos aureos, ipse pergebat in Jerusalem ad templum Domini et ibi adorabat, Tob. I. Ita S. Hieronymus qui lib. XII. in Ezech. c. XL. de se scribit: « Cum essem Romæ puer et liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris ejusdem pietatis et propositi, diebus dominicis sepulera apostolorum et martyrum circumire crebroque cryptas ingredi. » Imprimis vero vacare decet operibus misericordiarum; siquidem aliis diebus fere nobis tantum attendimus. Propterea festivis diebus præ foribus ecclesiarum advigilant mendici veluti aulici Christi Domini, qui etiam in sabbatis beneficia curationum impertivit miseris. Apostolorum quoque tempore in sabbatis fiebant collectæ pro egentibus, ut patet I. Cor. XI. Hi sunt gazophylacia, in quæ munera nostra et quicquid in cœlo reponere volumus, secure deponemus. « Manus pauperis (inquit Chrysologus, serm. VIII.) est gazophylacium Christi, quia quicquid pauper accepit, Christus acceptat. Da ergo, homo, pauperi terram ut accipias cœlum: da nummum ut accipias regnum, da micam, ut accipias totum. »

Hæc est, auditores, ratio christiana celebrandi festos dies, quam si observaveritis, non modo in his Christum non perdetis, verum etiam, si perdidistis, rursus invenietis.

CONCIO VIII.

DOCUMENTA EX EVANGELIO.

I. Discunt parentes. — II. Discunt liberi. — III. Discunt conjugati. — IV. Discunt cognati. — V. Discunt clerici. — VI. Discunt omnes.

THEMA.

Conservabat omnia verba hæc in corde suo. Luc. II.

Quoniam hodiernum evangelium salutaribus doctrinis plenum est, sine ambagibus id aggregemur; et quoniam habent ibi quod discant parentes, liberi, conjuges, cognati, omnes, singulis suas partes distribuemus.

I. Discunt parentes instituere ad pietatem lieros suos, juxta exemplum Christi parentum, qui filium ad templum duxerunt, et perditum sollicitè quæsiverunt. Et primo quidem a pueritia, cum sapere incipiunt, ducant eos ad templum et rem divinam: necnon ad confessionem

et communionem. Non expedit quidem ducere eos ad templa, dum sunt infantes, quia perturbant alios. Sed incipientibus annis discretionis ad hæc assuefaciendi sunt. Quod enim a tenera ætate imbibitur, alte et diu retinetur. Testes sunt equi, tigrides, ursi, leones, elephantes, etc. qui a primæva ætate cum instruuntur, discunt saltare, ludere, joculari. Quis magis horret lepus, quam tympani sonitum? Et hoc tamen sonare pedibus suis doctus est ab aliquibus. Vidi ego Romæ asinum saltantem, non tantum ad numerum, sed etiam per circulum ligneum, nec tangentem illum: capram præterea etiam funibus inambulantem, per eos ascendentem et revertentem. Si parentes ducant liberos suos ad popinas et choreas, eas etiam in posterum filii frequentabunt; sin vero ad templum et rem divinam, ea etiam postea amabunt. Exemplum in Samuele, Deipara et aliis, qui idcirco ad maximam sanctitatem pervenerunt. Duo fratres erant Wenceslaus et Boleslaus Bohemiæ principes: sed quia ille a Ludmilla religiosa femina educatus fuit, optimus et sanctus evasit; hic vero quia ab impia Drahomira, pessimus extitit et fratrem Wenceslaum interfecit, refert Joannes Dubravius episc. Olomuc. Multi nunc ducunt liberos suos ad mundi vanitates et pericula, ad instar Israelitarum, qui videntes a gentilibus immolari et cremari filios idolo Moloch, ducebant saltem et ipsi suos per ignem illum. Nolunt quidem immolare liberos dæmoni, sed denigrant tamen et amburant in vanitatibus mundanis.

Secundo, errantes et lapsos adeoque perditos festinent reducere. Patet etiam in brutis quantopere laborent eruere a periculis fetus suos. Efferunt eos mordicus e foveis, in quas lapsi sunt; efferunt ex igne non absque sui læsione. Panthera illa apud Plin. I. VIII. c. XVII. hominis opem imploravit ad catulos e fovea, in quam ceciderant, extrahendos, eumque pallio leniter prehensum ad foveam duxit. Ita ergo parentes Christi, dolentes quærebant filium amissum. Amittitur autem filius longe periculosissime, cum in pravam societatem, vel in perversam vivendi rationem incidit. Ita S. Monica assiduis precibus et lacrymis pro filio Augustino, qui in Manichæorum hæresim inciderat, fuis continuo Deum fatigabat, donec filium erueret. Unde jurè vocatus est *filius lacrymarum ejus*, ut in ejus confes. lib. III. c. ult. Si nuntiaretur matri filium jacere in puteo, cum morte luctantem, quantum heu doleret! Sed si dicam: Mater, filius tuus jacet in ceno luxuriæ, vel in hæresi; mater, filius tuus furatur, inebriatur: nihil contristatur,

II. Discunt liberi primo a tempore, quo ratione uti incipiunt, salutis suæ consulere, etiam invitatis parentibus, rebus divinis assuescere, templum frequentare, etc. juxta exemplum Christi. Cum enim ad bivium illud Herculis, et litteræ Pythagoricæ Y venerint, ibi nonnihil consistere et bene ponderare debent quam viam inire velint, latamne an angustam. Difficilius enim ad rectam viam reditur, quam in ea persistitur. Et si viam virtutis, veræ fidei aut religionis elegerint, etiam repugnantibus aut inconsultis parentibus, siccis oculis ad vexillum crucis evolent. Non enim oportet eos hac de re respondere parentibus, cum a Deo vocentur, qui dixit: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus*, Matth. X. Si contempta nutrice curreret infans ad parentes suos, num improbarent id parentes? Haudquaquam. Atqui parentes nostri nutriti sunt, Deus vero pater est. *Non es ejus cui nata es*, ait Hieronymus ad Heliod. *sed cui renata*. Commendatur a Sev. Sulpitio S. Martinus, quod duodecim annos natus invitatis parentibus ethnicis ad Christianorum templa confugerit, et catechumenus fieri voluerit. Commendatur et S. Thomas Aquinas, quod puer adhuc reluctantibus parentibus et fratribus ad religionem sese receperit, ab iisque deprehensus et miris modis tentatus, acriter restiterit. Sic alii quam plurimi. *Bonum etiam est viro*, ait Jeremias Thren. III. *cum portaverit jugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius et tacebit*. Quem locum exponens S. Ambrosius, in Psal. CXVIII. ait: « Qui a juventute jugum portaverit et habenis maturi moderaminis teneriora volens colla subdiderit; sedebit singulariter remotus a strepitu interpellantium passionum et quietus silebit: cui necesse est jam non jurgari cum corpore, decertare cum variis cupiditatibus: quia tulit jugu mverbi anima, quæ quærit Deum, quæ captivas sibi fecit omnes delicias juventutis. »

Secundo, in reliquo subditi esse parentibus. Quemadmodum et Christus descendit cum parentibus in Nazareth et erat subditus illis. *Quis quibus?* ait S. Bernardus; *Deus hominibus*. Deus ergo hominibus se subjicit: et non subjiciant se parentibus liberi? Multum omnino est paruisse solem et stetitisse ad vocem Josue, Jos. X. sed longe admirabilius est, solem justitiæ Christum descendisse in terras, et obediisse hominibus. Quantuscumque ergo es, parentibus tuis defer honorem et obedientiam. Sic descendens in Nazareth et Nazareus vocaberis, id est, floridus. Ut enim flos spem fructus gignit: ita filii obedientia præannuntiat virum bonum et heredem cæli. Unde vocari solet juvenus florida. Ecceur? Nisi

quia inde sperantur egregii fructus? Quod si igitur non floreat per obedientiam, sed nodosa tantum germina et grossi maneant: ac quid prosunt, nisi ut excendantur et in ignem mittantur? Ideo Deut. XXI. jubetur filius protervus et immorigerus ab universo populo lapidari. Ideo plerique adolescentes ante maturam ætatem moriuntur; ut quid enim terram occupat ejusmodi arbor, quæ nullis correctionibus et subsidiis emendatur?

III. Discunt conjugati mutuo se honorare. Sic enim Joseph honoravit conjugem suam Deiparam, dum non ipse interrogavit Jesum, quamobrem in templo remansisset, sed hoc potius conjugati detulit. Maria itaque ob majorem, quam habuit erga filium relationem et confidentiam, eum allocuta est; sed ita tamen ut honorem Josepho suo deferret, licet sciret eum esse nutritium tantum. Ait enim: *Pater tuus et ego dolentes quærebamus te*. Nimirum habuit Sanctus Joseph, cur præponeret sibi Mariam, quia scivit eam veram filii matrem, se vero esse nutritium tantum: scivit eam plus laboris et sollicitudinis ob filium exantlasse: scivit eam sanctiorem: scivit eam de sexu muliebri adeoque imbecilliori esse. Similiter Deipara agnovit Sanctum Josephum esse caput suum: agnovit filium suum ab eo non minus diligi, quam si pater ejus naturalis esset: agnovit eum esse tutorem, nutritorem, et quodammodo patrem suum: agnovit eum esse virum magnæ sanctitatis, seque in hoc ei humiliter postposuit. Eisdem aut similes causas inveniunt conjugati, cur alter alterum honoret. Vir honoret mulierem tamquam vas infirmius, sic enim cerea imago cautius tractatur, quam lignea aut ærea. Honoret eam tamquam matrem filios sibi gignentem, sic currui onusto cedere de via debent currus vacui. Honoret tamquam majoribus curis et laboribus distentam in filiorum educatione. Honoret tamquam sexum magis devotum. Vicissim etiam uxor honoret virum tamquam caput suum, tamquam directorem, tamquam nutritorem suum.

IV. Discunt etiam cognati suorum propinquorum curam habere: etenim Joseph et Maria requirebant filium suum inter cognatos et notos, quia prudenter existimabant, filium, si se ab ipsis subduxisset, non ad alios, quam ad cognatos et notos recepisse. Talis ergo animorum unio et honorum communio inter sanguine junctos esse debet, ut qui forte adversante fortuna in miserias prolapsus est, habeat quo confugiat. Certe agentia naturalia prius et fortius agunt in propinqua quam in remota, veluti sol in zona torrida; et tunica pallio propior est. Itaque si

quis forte in extrema egestate et desolatione oberret in hoc mundo, habeat tamen propinquos tales a quibus juvari queat, requireret eum Deus inter notos et cognatos. Ita requisivit Abelem de manu Cain, Genes. IV. *Ubi est Abel frater tuus?* Hac de causa, ait apost. I. Timoth. V. *Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior*, quasi dicat: Parum Christianus est, siquidem gentiles id observant, quod ipse negligit. Imo talis deterior est epulone illo, qui sepultus est in infernum; rogavit enim is Abraham ut mitteret in domum patris sui ad monendos fratres suos ne in eundem tormentorum locum venirent, Luc. XVI. Et quidem dum ascenditur ad virilem scilicet aetatem et statum prosperitatis, facile inveniuntur amici et cognati comites: sicuti haud dubie ascendente in Jerusalem Christum comitati sunt amici, ejus colloquio, modestia, prudentia, et lepore delectati; sed cum descenditur ad senectutem et mortem, vel ad statum adversitatis, tum deseritur amicus. Nulli fere sunt qui consolentur senes, qui invisant aegrotos et adsint morituris. Sed audiant Isaiam, c. LVIII. dicentem: *Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam* (Septuaginta legunt, propinquos seminis tui) *ne despereris.*

V. Discunt clerici, versari in iis, quae patris sui sunt, et templo adherere. Sed hoc de re scient clerici seipsos admonere.

VI. Discunt omnes primo, non facile impediri a templi aditu, ob curam rei familiaris, etc. Nam in primis parentes Christi timere poterant Archelaum adhuc Jerosolymis regnantem, quem prius in reditu ex Aegypto timebant et vitabant. Deinde, timere poterant domui suae, quam omni custode destitutam deserebant. Sed neutro s impediri patiebantur a tam longo itinere et diutina absentia. Nimirum quod promisit Deus, Exod. XXXIV. ascendentibus Jerusalem, incolumitatem scilicet domorum et civitatum suarum. Id et nos sperare debemus. Quinetiam mone-mur, ut ne metuamus anno jubilei peregrinari Romam. Si enim parentes Christi pergebant a Nazareth in Jerusalem, Levit. XXX. et quidem ter in anno juxta legem, neminem terrere iter Romanum debet: maxime cum eadem pene nos invitent causae ad jubileum requirendum, quae Judaeos Jerosolymam vocabant. Vocabantur illi, ut summum suum pontificem velut Judaicae nationis apud recognoscerent et nossent, eique in fidei quaestionibus obedirent. Vocabantur, ut una cum suis liberis, alioqui locorum intervallo dis-junctissimis, in unitatem religionis, legum et caeremoniarum convenirent, nec a se mutuo in

his recederent. Vocabantur, ut inspectione sacrificiorum, expiationum et cultus divini firmentur in fide et notitia venturi Messiae, ad quem omnia illa referebantur. Vocabantur, ut efficacior esset tanti populi unanimis oratio cum tanta itineris molestia, etc. Simili modo institutum est jubileum singulis viginti quinque annis, ut aliquando Christiani ex toto orbe recognoscerent summum suum pastorem, ut fidem ac religionem suam cum fide ac religione matris omnium Ecclesiarum conferrent, ut hinc in fide sua confirmarentur, videntes eam per universum orbem esse unius tenoris, eorundem dogmatum, etc. et falsa esse quae sparguntur ab haereticis: denique, ut oratio Ecclesiae totius, quasi in unum collectae, praesertim cum tot impensis, periculis itineris, molestiis, etc. esset efficacior apud Deum; ibi enim quodammodo totus mundus una voce Deum orat, licet linguis diversissimis.

Secundo, audire in templo et discere; siquidem Christus inventus est audiens doctores et interrogans. Poterat eos docere Christus; sed maluit audire et interrogare, qui hoc puerili aetati magis conveniebat. Quare mechanici suas artes, mercatores suas ulnas, tractent fabrilia fabri, et docere aut interpretari sacras litteras vel conciones dijudicare ne praesumant. Deinde, qui in templis sunt, ne sibi licitum putent sub concione loqui, orare, legere, dormire, alia cogitare; sed attendendum sibi sciant. Nec quomodocumque audiendum Dei verbum, sed quomodo Deipara dicitur conservasse omnia verba Christi in corde suo. Conservavit autem non pro se tantum, sed et pro nobis: siquidem ea narravit apostolis et evangelistis. Idem faciant parentes, etc.

Tertio, non discedere e templo ante finem rei divinae nec domum festinare. Sic enim Christi parentes non discesserunt Jerosolymis, nisi consummatis septem diebus, quibus festum paschatis celebrabatur, teste Luca: quod amplius est, Christus ibi remansit ultra festum illud. Viderint ergo qui ad horas duas vix manere in templo possunt, quibus omnis concio et missa longa nimis est: itane longum nimis est festivo die duas horas impendere Deo? Quid enim reliquo tempore agimus ad Dei cultum pertinens? Et quoties adhuc abbreviari nobis res divina debet? Certe olim, ut refert Baronius, anno Dom. 418. omnes missae cantabantur, nulla legebatur: postea fere ob gulam et avaritiam maxime potentum introductum est, ut eadem voce submissa legerentur. Rursum abbreviate sunt, cum concessum ut in introitu missae non integer psalmus ex more pristino, sed unus tantum ipsius versus dicatur. Non urgeamus ultra ecclesiam, et sacer-

dots, ut rursus aliquid demant, quia non expedit nobis. Queritur certe de talibus S. Augustinus, serm. CCLI. de temp. qui propter gulam et avaritiam suam cogunt presbyterum abbreviare missam contra Ecclesiae consuetudinem.

Quarto, observare consuetudines pias et laudabiles; siquidem legimus in hodierno evangelio, ascendisse Christi parentes ad templum secundum consuetudinem festi. Mali et servilis animi signum est, non velle facere aliud, nisi quod mandatum est. Itaque retineamus pias consuetudines, v. g. audiendi in diebus festis, non privatam tantum missam, sed officium decantatum una cum concione. In magnis solemnitatibus non omittere confiteri et communicare: cum solet fieri ad altare oblatio fidelium, fiat.

Rursum nec feminae, nec pueri obligantur ascendere Jerosolymam: ascendit tamen B. Virgo cum puero Jesu. Quare decet etiam nos facere plura, quam jubemur. Displicet nobis servus, qui non vult amplius aliquid facere, quam servitium ejus postulet; veluti stultus ille, qui prius quam domini jussa perficeret, inspicere solebat tabellas suas, num id genus officii sibi praecipuum foret. Et va nobis, si ejusmodi rigore agat nobiseum Deus, quo nos agimus cum illo!

Quinto, denique gratiam Dei prius quam gratiam hominum quaerere: siquidem legimus Christum profecisse gratia apud Deum primo, deinde apud homines. Errant toto caelo, qui per gratiam hominum venari gratiam Dei volunt. Contraria via eundem est. Facile amabitur ab hominibus, quem amaverit Deus, licet non ametur ab omnibus. Neque enim Christus dicitur placuisse omnibus; sufficit placere optimis. E contra autem saepe fit, ut, qui hominum tantum gratiam quaerunt, et Dei et hominum gratiam perdant. Sic accidit Pilato, qui ne Caesaris amicitiam perderet, Christum crucifixit; et sic et Christi et Caesaris iram incurrit: ab hoc missus in exilium, ab illo in infernum, a quo custodiat nos benignissimus Deus.

CONCIO IX.

MYSTERIA EVANGELICA.

I. Cur ascendit Christus in Jerusalem. — II. Cur remansit ultra tempus. — III. Cur insciliis parentibus. — IV. Quomodo excusantur parentes Christi. — V. Cur mater, non Joseph, Christum allocuta. — VI. Quid fecit eo triduo Christus. — VII. Quomodo profecit Christus.

THEMA.

Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus. Luc. II.

Spectavimus his diebus Deum factum homi-

nem jacentem in cunis, adoratum a pastoribus et magis, circumcisum, quaesitum ab Herode, fugientem in Aegyptum, inde redeuntem: sed nondum audivimus loquentem. Nunc tandem advenit tempus, quo eundem audire possumus. Utrumque maximis votis petiit olim sponsa, cum dixit, in Cant. II. *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis et facies tua decora.* Ostendit nobis his diebus faciem suam Christus, nunc proponit etiam vocem. Hodie enim primo, locutus est hic sponsus dilectae suae sponsae, quando in templo Jerosolymitano auditus est tam docte disputare, ut omnes obstupescerent: et quando respondit parentibus: *Quid est quod me quaeratis. En dilectus meus, inquit sponsa, loquitur mihi.* Et rursus: *Vox turturis audito est in terra nostra*, quoniam videlicet post longam legis hiemem, laetissimum gratiae ver mundo annuntiavit. Itaque ad hanc vocem evigilemus, auditores. Et quia neminem esse puto, qui non avidissimas aures praebisset Christo Domino, si loquentem hodie et disputantem cum doctoribus audire potuisset; pari aviditate spero vos audituros ea, quae circa primam illam Christi disputationem gesta sunt.

I. Cur ascendere voluit Christus tunc in Jerusalem, cum ad id nulla lege obligaretur? Respondeo primo, vocatum eo Christum ab aetate, cum enim circa annum duodecimum incipiat aetas discretionis, voluit eo anno, et quidem tempore paschali Christus accingere se ad cultum Dei publicum et praceptorum observationem ac per hoc exemplum praebere nobis, ut ea etiam aetate incipiamus servire Deo ad conciones et s. synaxin accedere (quia tunc jam possumus nos probare, juxta doctrinam apostoli, I. Cor. XI. et assuescere praecipis, etiam ad quae nondum obligamur, veluti jejuniis.) Deinde voluit hae aetate specimen edere suae divinitatis et sapientiae ad confirmanda corda eorum, qui vel jam in ipsum credebant, vel postea credituri erant.

Respondeo secundo, vocatum eo, a festo paschali, quod de ipso et propter ipsum fiebat, quia ipse erat agnus in paschate immolandus. « Erat igitur, (inquit Eusebius Emissenus, in hom.) cum caeteris Jesus in solemnitate, qui totius erat causa solemnitatis, permixtus turbis, ab omnibus videbatur qui in lege et prophetis praedicabatur, in sacrificiis signabatur, et a nemine cognoscebatur, quia duplici velamine tegebatur: inde velamine litterae, hinc carnis pariete. Unde scriptum est, Cant. II. *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Ipse jugulabatur in agnis, immolabatur in vitulis et omnibus sacrificiis offerrebat, etc.* » Utinam non idem nunc contingeret, ne, dum vide-